



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

VI. S. Eucharistus. Anno Christi 112. Trajani Imperatoris 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

runt, si pauca demas, concinnatas esse constat. Vide Observationem Phil. Labbei tom. I. Conc. pag. 78.

VI.

S. EUARISTUS.

ANNO CHRISTI. 112.

TRAJANI IMPERATORIS 13.

Bar. an. 112. §. 4. **E**UARISTUS Betlehemita, in locum cum Anacleti successit, annos novem, & menses tres Pontifex fuit. Hic Titulos, seu domos divino cultui mancipatas, ut explicat Baronius, (1) in Urbe Roma Presbyteris divisisse, septemque Diaconos iussisse Episcopo ad populum concionanti præsto esse (2) legitur in Libro Pontificali. Eundem fuisse primum, qui consecrationem Ecclesiarum in mores nostros induxerit, opinio est aliorum. (3) De medio sublatus est anno 121. VII. Kal. Novembr. quo die ab Ecclesia colitur.

An. 121.
§ 1. Pag.
an. 119.
§. 2.

ANNOTATIONES.

(1) Idem Baronius annotat. in Martyrologium Rom. VII. Kal. Augusti: *Idem Titulus, quod Memoria, seu Ecclesia: sic dictus,*

dictus, quòd in loco, ubi erat Ecclesia erigenda, Crux poneretur in titulum . . . Roma autem obtinuit vetus loquendi usus, ut non omnis Ecclesia, martyrúmve Memoria Titulus diceretur, sed tantum insigniores, quibus præsicerentur Presbyteri Cardinales.

Joan. Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 3. pag. 13. *Tituli nihil aliud sunt, quàm Basilica, quibus certi Sacerdotes ac ministri adscripti & additi habentur. Longè supra XXVIII. Tituli ante Innocentii I. tempora in Urbe erant.*

(2) *Quasi veræ doctrinæ testes, inquit Ciaconius, ne ab emulis Episcopo prædicanti imponerentur errores, qui ei adscriberentur, quos tamen ipse non commisset: seu, ut interpretatur Blanchinus in Notis ad Anastasium tom. 2. part. 2. pag. 78. propter stilum veritatis addiscendum in ministerio prædicationis.*

(3) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 20. §. 3. *Sunt qui Evaristo Papa, ejus (consecrationis Templorum) originem adscribunt, sed multò certius est, Apostolicum institutum esse, nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat. Aut fortè addidit ad veteres ceremonias, ut sinè Missæ sacrificio Basilicæ non consecra-*

rentur, ut ex illo referunt canonum collectors. Alii ex aduerso scribunt ante Imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis: In quorum sententiam facile ibo, si de publicis & solemnibus agant: si verò de privatis & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum. Nam veterum Patrum testimonio iam supra evici, semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosai- ca Legis exemplo & Apostolicâ institutione edoctis, divino cultui certis ceremoniis consecratis, nemo certè negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina.

VII.

S. ALEXANDER I.

ANNO CHRISTI 121.

HADRIANI IMPERATORIS 2.

Bar. an. 121. §. 2. An. 132. §. 1. 3. Pag. an. 130. §. 2. 3. **A**LEXANDER Alexandri filius Romanus Idibus Novembr. anno 121. Pontifex constitutus, anno 132. V. Nonas Majas sacrum in martyrio Sanguinem fudit, cum decem annos administrationis explisset. (1)
De